



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 16. Decreta in Conventu Francofordiensi condita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

§. XV.

Imperatoris sententia.

Verum post crebras disceptationes, multaque consilia, jam probata, jam iterum rejecta, tandem Fridericus respondit, aliud Concilium omnino esse celebrandum; mittendos nuntios Basileam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium, qui super loco & tempore deliberarent: interim vero, Germanos neutri parti, ut hactenus factum, adhæsuros: Cum vero Basileenses conquererentur, quod *neutralitatem*, ut vocabant, nec Cæsar, nec Principes observassent, eo quod nuntios ad Eugenium, non itidem ad Felicem mittere decrevissent, Imperator placatis eorum animis, Basileenses ad sua redire iussit, pollicitus, se rem sedulo ponderaturum. Quo responso accepto, illi prima die Septembris Basileam reversi sunt, cunctaque Francofordiæ gesta Patribus exposuerunt.

§. XVI.

Decreta in Conventu Francofordiensi condita.

Imperator Provinciæ tranquillitati consulturus, edicto publico prohibuit, ne quisquam occasione schismatis in Beneficii sui possessione quovis pacto turbaretur,

tur, declarans, transgressores veluti pa-
 cis publicæ hostes, ac regni rebelles ca-
 stigandos. Dein communi Principum
 consensu quædam conditæ sunt leges,
 quæ Eugenio Papæ offerrentur, ad resti-
 tuendam Ecclesiæ pacem idoneæ, data-
 que regula, quam Delegati, Eugenium
 & Basileenses adituri, observare tene-
 rentur.

Sæcul. XV.
 A. C. 1442.

§. XVII.

*Mandata Delegatis ad Eugenium
 data.*

Præscripta agendi norma hunc in mo-
 dum concepta erat: Omnes Impera-
 toris ac Principum Legati ad diem festum
 S. Galli Tridenti conveniant: venerentur
 Eugenium ut Romanum Pontificem,
 quem mox ut adierint, expositis ratio-
 num momentis, ob quas tamdiu in dene-
 gatione obedientiæ perseveraverint, Cæ-
 sare, & Principes excusent: Dein ex-
 ponant, Imperatori nullum aptius ad pa-
 cem Ecclesiæ conciliandam medium vi-
 deri, quam Generale Concilium; qua-
 propter Beatissimum Patrem rogent, ut
 illud intra unius anni spatium celebrari
 curet, & quamdam ex civitatibus mox
 recensendis seligat, proponant autem Ra-
 tisonam, Treviros, Metas, Argentinam,
 Constantiam, aut si malit Papa Triden-
 tum,

Act. Patric.
 to. 12. Conc.
 p. 1602.